

nostra Caesarea et Regia vobis in reliquo iugiter propensi manentes. Datum in Civitate Nostra Vienna die sexta Mensis Augusti Anno Domini 1670.

Leopoldus m. p.

Thomas Palfy m. p.

Electus Episcopus Nitriensis.

Stephanus Orban m. p.

Ex Protocollo Regni Congregationum. Nro. 3.

CCIX.

Anno 1671. die 7. Januarii. Viennae.

Leopoldus Rex quosdam Nobiles, Zrinii et Frangepani assecclas, in gratiam recipit, idque SS. et OO. notum reddit.

Leopoldus Dei gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae &c. Rex.

Reverende, Honorabiles, Spectabiles, Magnifici, Egregii et Nobiles, Prudentes item ac Circumspecti, fideles Nobis dilecti. Benigne vobis intimatum esse volumus, fidelem nostrum nobis dilectum Consiliarium, Camerarium et Generalem Excubiarum Praefectum, nec non Confiniorum nostrorum Croaticorum Maritimorumque Collonellum, Spectabilem et Magnificum Joannem Josephum Comitum ab Herberstain, Francisco Berislavich, Caspari Cholnich, Ladislao Chernkoczy, Georgio Gotthal, Stephano Gereczy, Georgio Mallinich, Balthasari Poggledich et Joanni Kamenian, vigore proclamatis, contra Comites a Zrin et Frangepani, die vigesima Mensis Martii Anni recenter evoluti, emanati, dum videlicet partes eorundem Comitum deserrendo subito sese cum suis ad signa praefati Comitum ab Herberstain contulissent, erroremque, quem ab initio falsa praememorum Comitum a Zrin et Frangepani persuasione commiserant, per hoc correxissent, nomine nostro, ex benigna tamen annuentia et Commissione nostra, gratiam et absolutionem promississe dedissequ; quam promissam et simul etiam datam Nos quoque, habitis praevis sufficientibus a fidelibus nostris intimis Graecensibus Consiliariis desuper informationibus, de Regiae Nostrae potestatis ple-